N. VI
18/n



ORATIO INAUGURALIS

DE NECESSITATE

ARTIS CHEMICAE

Eiusdemque Productu summo

MAGNA HOMINUM ET METALLORUM MEDICINA

LAPIS PHILOSOPHORUM

DICTA.

HABITA

IN ACADEMIAE WITTENBERGENSIS

AUDITORIO MAIORI

D. VII. NOVEMBR. A. M DCC XXIV.

A

D. IO. THEODORO Neukrantzen

AD PHARMACIAM ET CHEMIAM CONSTIT. P. P.

MED. EXTRAORD. EIUSDEMQUE FACULT. ASSESSORE.



VITEMBERGAE

APUD VIDUAM GERDESIAM

M. DCC XXV.



PRAELOQVIVM
I. N. I.
A. O. O. H. &c.

Quamvis Sceptici ubique reperiantur, et nullo tempore, ex eruditis etiam defecerint, qui omnes indifferenter artes et ſcientias vanas haberent, ipſique Theologiae non parcerent, nulla tamen omnium, quod ſciam, tam duris vanorum perverſorumque ingeniorum iudiciis, tam diris eorum, qui imperitiae morbum malitia cumularunt, iniuriis et calumniis unquam eſt affecta, quam ars praeſtantiſſima Chemia in primis ſecundum partem eius principem, quae Arcanum arcanorum omnium, magnam hominum et metallorum Medicinam, ſ. ſecretum Philoſophorum lapidem docet. Sed quid mirum? hic exſecrandus omnium ſeculorum fuit mos, ut ingens quoque bonum toties et anxie quaeſitum, at rariſſime inventum, ut rem peſſimam et deteſtabilem odio habuerint plus quam Vatiniano; Divinum hoc DEI praepotentiſſimi

munus fuit abſtruſum quovis tempore, et in abditis ſapientum ſacrariis, ſecreto detentum, quidve de illo ſcriptum a poſſeſſoribus ſuis, non niſi myſticis eloquiis, aenigmatibus, allegoriis, et ſimilitudinibus, tum ab elementis, tum ab elementatis, aequivocationibus, characteribus et nominibus inuſitatis, involutum habetur; hinc illae querelae et accuſationes, haec difficultates praebent, quaerentibus, et arcent indignos ab opere! Soliti enim ſunt, tam vetuſtiſſimi, quam recentiores Philoſophi, non exponere vulgo ſua ſecreta; ſed filiis doctrinae. Demus Io. Franciſco Pico, *vixiſſe ab omni aetate vix quindecim veros adeptos.* Ponamus cum Andrea Libavio, *hoc noſtro tempore nullum eſſe, qui poſſit aſſequi illa vetuſtatis miracula; tamen non negandum erit, tam proterve, nullam unquam fuiſſe, aut eſſe poſſe factorum in natura vel arte, rationem et fidem.* Largiamur Auberto, Eraſto, Fenetto, Scaligero, Cardano, Gviberto, Athanaſio Kirchero et omnibus, quotquot fuerint et adhuc dum inveniantur, artis oſores, *Chemiae nobiliſſimae ſeſe adiungere ſpecioſas quasdam impoſturas, ac eſſe aliquos, qui delira fiducia et inani perſuaſione, quaſi ſciant, id quod tamen neſciunt, et fallaces Tincturas, Sophismataque adultera ſubſtituunt legitimis dogmatibus, impo-*

nunt

nunt incautis non uno modo, (ſex nempe et triginta eiusmodi fraudum ſpecies, ex Riceri Thraſybuli admonitione, ad calcem ſuae confeſſionis iam recenſuit, Henricus Conradus) *at omnes decuiſſet non attendere, quid illi decoctores vulgares promitterent, quid Bragadinus effecerit? quid alii pariter Scelerati ſibi arrogaverint? ſed quid conveniret artis Principiis per ſe:* uti recte monet contra Guibertum Andreas Libavius, qui et ad ceterorum argumenta ſat levia ſufficienter reſpondit, in Syrraxi ſua Metallica altera. Athanaſio Kirchero non minus ſatisfecit Salomo de Blawenſtein. Quam ob rem ſupervacaneum duco, apud malevolentes arti diutius morari; inprimis cum plurimi poenitentia criminis, contra divinam Chemiam eiusque cultores commiſſi, ducti, ſobrius poſtea philoſophati ſint. Moroſis autem adhuc Verba Henrici Conradi oppono, quibus fig. 3. admirandae diligentiae Amphitheatri uſus eſt, et ita ſe habent: *Lapis Philoſophorum eſt: Hunc nempe rerum experientia, omnium etiam ſola ſufficiens Magiſtra infallibiliter atteſtatur: cui refragari, nonne eſſet plus quam ſtultum? Hunc (ab aliis tamen praeparatum) virtuoſe efficacem vidit, et Pontifex Romanus et Caeſarea Maieſtas. Viderunt et Reges orbis Terrarum non pauci. Nec*

 non

non Imperii Romani Electores nonnulli. Viderunt et Principes aliquot, Comites, Barones, Nobiles et propter virtutem et doctrinam a Nobilibus proximi Doctores: imo ex omni gente Iudaica, Ethnica et Christiana, statuque ac ordine passim, multi, tam Ecclesiastici, quam Politici, Literati pariter ac illiterati, oculis (obstupescentes naturae per artem miraculi) viderunt, manibusque tetigerunt suis, sciens loquor. Huc usque Conradus. Propero nunc ad propositum meum, quod est, more atque instituto maiorum, Orationem meam inauguralem, de *Necessitate Chemiae eiusque productu summo, magna hominum ac Metallorum Medicina, Lapis Philosophorum dicta*, pronunciare atque munus Professoris, clementissime mihi collatum, capessere. Antequam vero illud peragere aggrediar, prius ad Vos A. O. O. H. me converto, submisse perhumaniterque rogans, atque contendens, Velitis omnia, quae, pro instituti ratione, prolaturus sum, benevole audire et aequi bonique consulere!

ORA-

ORATIO INAVGVRALIS
DE
NECESSITATE ARTIS CHEMICAE EIVSDEMQVE PRODVCTV SVMMO, MAGNA HOMINVM AC METALLORVM MEDICINA, LAPIS PHILOSOPHORVM DICTA.



rtis Chemicae iam potiti excultae, de derivatione vocis Chymiae, Chimiae ac Chemiae, non multum simus soliciti, cum, qualis vox sit, utrum Graeca, an Arabica, Aegyptiaque, nondum constet, et quae de eius notatione, apud Autores observantur, merae sint coniecturae, ne quidem de literis, quibus Aegyptii, in antiquissimis temporibus usi sint, aliquid certi probantes: Graecia vetus hoc vocabulum certe nescit, nemo Lexicographorum eius fecit mentionem: Plus autoritatis habent, qui, ab Arabica radice Chama *exarsit*, *calore examinavit*, vocem derivare amant. *Floruit nempe ars in Arabia, et probabilius prius, quam apud Graecos, unde et Al, articuli additione Alchemia usitatissime audit, et hinc Chimia potius, quam Chymia, quod Arabes y carent, vel*

Che-

Chemia scribitur. (α) Neque longe morabor, tempus ortus invenire, aut Inventores Chemiae ab Adamo usque enumerare. Placet tamen, quae de eius antiquitate, ortu et successu felici, inter scriptores veteres ac modernos nota sunt indubitata argumenta, paucis attingere. Antequam vero hoc fiat, sciant oportet A. O. O. H. me Chemiam habere artem peculiarem, a nulla alia arte aut scientia dependentem, vel partem solum cuiusdam constituentem, sed per se omnium excellentissimam, ac ipsam Philosophiam operativam, cuius culturam Baconus de Verulamio (β) omnibus *ingenuis*, rerum naturae scrutatoribus, tantopere commendat, et quae veris naturae principiis et fundamentis innixa, sub debito operationum directorio, ipsa corporum naturalium mixtorum et compositorum penetralia aggreditur, eademque in partes, ex quibus naturaliter construuntur, resolvit, quas purificatas, alteratas et exaltatas artifice iterum miscet et coniungit; atque hac ratione naturae arcana, aut supra nos immensum sublata, aut infra nos alte abscondita perscrutatur, totique generi humano multifariam inservit: aut enim ad maximum metamorphoseos metallorum opus, ipsamque arcanam Lapidis Philosophorum praeparationem, permittente id divino Numine, ducendo, aut Physicae scientiae, ad explicationem rerum naturalium perspicatiorem multa occulta aperiendo, vel arti Medicae medicamenta utilia suggerendo, vel denique Metallurgis, maiore cum fructu in mineris laborandi modum

et

(α) *Georg. Wolffg. Wedel introd. in Alchim. p. 15. seq. Salmuth. in not. ad Pancir. Tit. VII. de Alchemia Lib. 2. p. m. 137.*

(β) *In visis et cogitatis.*

et media monſtrando; ut taceam iam immenſos, quos in Mechanicis et Oeconomicis habet uſus, ita ut non immerito quis dicat: Nullam eſſe artem, nullamque ſcientiam, quae non ex Chemia augmenta capiat.

Haec vero ars praeſtantiſſima, primam ſuam originem, procul dubio debet Metallurgiae, quam antiquiſſimi eſſe ortus, praeclarum teſtimonium ſacrae literae nobis praebent, quando a Spiritu Sancto Gen. IV. v. 22. innuitur, Tubalcainum fuiſſe Magiſtrum in omni opere aeris et ferri. Et quamvis poſt Plinium, multi cum Polydor. Vergilio (γ) opinentur, quod ex hoc loco nihil amplius ſit iudicandum, quam Tubalcainum ſciviſſe, qua ratione metalla ad agri culturam, et alios, in vita communi, uſus, cudi et adhiberi debeant; Tamen recte cum Senn. noſtro (δ) concludimus: *Si cudere aes et ferrum monſtravit, neceſſum eſt, ut prius, qua ratione inveſtigari, coqui, fundi, ſegregari et purificari poſſit, docuerit, vel ab aliis didicerit. Et ſi ferro et aere laborare noverat, procul dubio et reliqua metalla ipſi non fuere incognita.* Inſignem itaque Tubalcainus Metallurgiae habuit notitiam, quam absque dubio Poſteri eius magis magisque excoluerunt; a quibus autem ante diluvium hoc factum ſit, certo non conſtat. Poſt diluvium vero *a Chamaeis et Nimrodaeis, ex Chaldea et Babilonia, in eidem Chamaeorum (Mizraimi ſcilicet) imperio parentem Aegyptum Ars ſine dubio pervenit*, et ibidem ab Hermete Trismegiſto, Noachi auditore, Chuſi, Chami filii, Praeceptore et Scriba, (*quem Aegyptiis, Abrahae temporibus, praefuiſſe, iis leges, et literas tradidiſſe, artisque magni Magiſterii exercitio, patriam admirabilem et celeberrimam red-*

 didiſſe

(γ) *Lib. 2. c. 19. de Rerum Invent.*
(δ) *Lib. de Chemic. Conſenſ. et diſſenſ. Cap. 3. p. 19.*

didiſſe, ex Heurn. refert Thomas Reineſius, (ε) unanimi omnium Chemicorum conſenſu in multis aucta eſt. *Exinde non minus Colchidis metallorum feracis Reges eandem acquiſiverunt, et patrimonio avito illatam poſſederunt.* (ξ) Argonautae vero invidia avaritia ne, an cupiditate ſcientiarum, duce Iaſone, aureum Vellus, tantopere a Poëtis decantatum, quod Suidas librum fuiſſe ſcribit, ὅπως δεῖ γίνεσθαι διά χημείας χρυσόν, una cum cuſtode eius Medea rapuerunt: Cuius fabulae explicationem et applicationem ad magnum Chemicorum opus dedit curioſiſſimam Senn. (η) ex qua vel ſola liquet, quam profundam notitiam, etiam ſecretioris Chemiae, Autor habuerit. Omnes inſuper fabulas Graecas de operationibus naturae, in lapidis Philoſophici praeparatione, adaequatam ſuſcipere interpretationem, probare conatur, Valer. Bonvicinus. (ϑ) Quid vero praefatus Triſmegiſtus ſ. Mercurius in Chemia praeſtiterit, praeter Tabulam iſtam famoſam ſmaragdinam, et libros quosdam, qui graece Hermetis nomine circumferuntur, nullum habemus veſtigium. Interea tamen certum manet, quod Chemia in Aegypto, ceu reliquarum etiam Artium et Scientiarum praecipuarum fonte, ſi non nata ſit, tamen incrementa ſumſerit.

Animadvertentes enim, Metallurgiae cultores indefeſſi, aurum inter reliqua metalla eſſe nobiliſſimum, ſpem ignobiliora in id transmutandi, conceperunt, huiusque gratia circa metalla et mineralia, multa tentata ſunt, variae inſtitutae operationes, ſeparationes nempe, reſolutiones, combinationes atque deſtillatio-

nes

(ε) *Chimiatria p. 18. 19.*

(ξ) *Thom. Reineſ. L. c. p. 20.*

(η) *Lib. c. p. 24.*

(ϑ) *Lance Peripat. p. 178.*

nes, hasque deinde etiam applicando vegetabilibus ac animalibus, via, non ſolum Medicamenta artificioſius praeparandi, aperta eſt, ut recte iudicat Sennertus noſter (ι) ſed plura alia detecta ſunt naturae arcana.

Quod et ipſos nobiliores Graeciae ſapientiae et virtutis Magiſtros, ut Democritum, Thaletem, Anaxagoram, Socratem, Pythagoram, Platonem aliosque ſine dubio commovit, in Aegyptum proficiſci. (κ)

Unde etiam non immerito quis iudicaret, hos commemoratos Philoſophos, artis doctrinam, in Patriam tranſtuliſſe, teſtari etiam ſatis fragmenta et ἀνέκδοτα inducti Democriti Abderitae et Zoſimi, aliorumque in Bibliothecis quibusdam reperiunda, Graecos poſt Aegyptios, primos Chemiam coluiſſe; malunt tamen plurimi Autores, Arabibus, hac in re, Palmam deferre, *licet ex illorum familia, ante Gebrum, neminem habeamus, qui Chemiam definiverit, ſuisque organis actionibus, materia et effectibus locupletaverit* (λ).

Poſt Chriſtum natum, et ſub imperio Diocletiani, Chemiam in primis iuxta eius partem transmutatoriam, ſive Chryſopoeiam ab Aegyptiis adhuc ſtrenue exercitam fuiſſe, hosque hac arte magnas divitias ſibi comparaſſe, inde patet, quod iſte Imperator omnes libros, de auri ex aliis metallis conficiendi ratione, conſcriptos, conquirendos et comburendos iuſſerit, ne amplius Romanis, ut modo duce Achilleo fecerant, repugnarent, prout ex Svida praeter Senn. refert Panciroll. (μ) et Salmuth in notis.

 De

(ι) *L. c. Cap. 1. p. 2.*

(κ) *Cicer 5. de finibus Bon et Mal. p. m. 1049. et 4. Tuſcul. Queſt. p. 1091. Philoſtrat, in Vita Apollonii Lib. 1.*

(λ) *Salmuth. ex Th. Mufetto L. c. p. 143.*

(μ) *Lib. 2. Tit. VII. p. 141. ſeq.*

De altera autem eiusdem parte, quae Medicamenta utilia arti medicae ſuggerit, inter Medicos altum tunc erat ſilentium. Tempore nempe belli Troiani Chirurgia magis excolebatur, et eius nomine tota veniebat Medicina. Quousque tandem Avicennas Vir magni ingenii, circa A. Ch. 1000. omnem Chemiam, una cum Medicina, quaſi in tenebris latentem, adiutus Bibliotheca Regia incomparabili, iterum in lucem protraxit et excoluit, eiusque ope, in exercitio artis Medicae, multa curationum miracula edidit, de quo plura vid. ap. *Maſſam* in vita Avic. Quem deinde multi ſunt ſecuti Arabes, et *Mauri*, ut Rhaſis, Artephius, Alphidius, Ioannes Meſues, Abdelae Damaſci Regis abnepos. Hic nempe cum Sect. 12. Antid. in Tit. de oleis, alia per expreſſionem, alia per impreſſionem, alia per reſolutionem, quando virtute caloris disgregantur, fieri notaſſet, addit, *plurigena eſſe in concreto occulta, et de his conſulendos eſſe Alchemiſtas; quorum ſit diſgregatio.*

Harum nationum Philoſophi quidam ſine dubio Anno Chriſti DCCC XII. cum Saracenorum copiis paulatim Hispaniae infuſi, una hanc artem ſuam, etiam per Europam, varie diſſeminarunt; Unde apparet, antiquorum dictorum Chemicorum farraginem, quae Turba Philoſophorum audit, maximam partem ex illorum ſententiis, atque aliis quibusdam latinis Graecisque adiunctis, conflatam eſſe, et in noſtram Medicinam, Pharmaceuticen, et Chemiam multa irrepſiſſe vocabula barbara.

Tempore poſt, cum et Graecorum ſcripta explicarentur, non defuerunt etiam in Europa plurium ſeculorum et Nationum Viri ſapientes, qui magna cum dexteritate et laboribus indefeſſis, Veterum ſcripta Chemica conquiſiverunt, examinarunt, obſcura,

quan-

quantum per artem licitum fuit, illuſtrarunt, pugnantia conciliarunt, falſa exploderunt, atque vera et ſana in artis ambitum receperunt. Quorum libri partim manuſcripti, partim impreſſi, et vario idiomate verſi, adhuc dum habentur, ut Rogerii Baconis, Arnoldi Villonovani, Raimundi Lullii, Petri boni Lombardi, Baſilii Valentini, Ioannis de Rupeſciſſae, Georgii Riplei, Iſaaci Hollandi, Bernhardi Treviſani, aliorumque. Illos, qui vult in ordine recenſitos, videat apud Andream Libav. in defenſ. utraque Alchymiae contra Gvibert. Borrichium in conſpectu Chemicorum, Georg. Agricolam Dedicat. ad Lib. 12. de re Metall. Ludou. Combachium Praef. ad Georgii Riplei opera, ubi inſuper ſingularem hiſtoriam Raimundi Lullii vitam et mortem concernentem, refert ex relatione itineris Perſici Ann. 1628. a Patre Pacifico abſoluti, Pariſiis Ann. 1631. impreſſa.

Ex his omnibus et pluribus aliis apud nominatos Autores reperiundis argumentis firmiſſimis, ſatis ſuperque conſtare credo; artem noſtram nobiliſſimam non nuper inventam, aut a Sophiſtis excogitatam, ſed antiquiſſimam et veraciſſimam eſſe; Quanquam etiam non video, cur vitio arti quis vertat, aut eandem propterea vilipendat, ſi ad inſtar plurimarum aliarum noviſſimae eſſet inventionis: ſat nempe antiqua, ſi ſat vera, et ſufficit, nos illam poſſidere excultam, atque fructibus eius uti uberrimis.

Cum autem Autores Chemici diverſas habeant hypotheſes, et in tradenda arte, non unum eundemque ſervent genium, ſed plurimi parabolice, aenigmatice, mythologice, aut per ſigna varia et characteres, ſuam ſententiam exprimant, licet in tertio quodam, omnes genuini conveniant, horum ſelectum et notiti-

 am

am sibi comparare, nec omnes indifferenter sequi oportet. De quo prae aliis vid. Wolffg. Wed. Introd. in Alchim. p. 17. seq.

Non minus optime notandum, scriptores Chemicos antiquos fere omnes, Medios, et ante Paracelsum plurimos, post eum etiam non paucos, in suis tam multis, tamque diverse conscriptis libris, unam eandemque tractare materiam, nimirum maximum naturae et artis mysterium, sive secretissimam Tincturae aurificae et argentificae elaborationem, quam, quia naturae legibus optime conformis, et de stupendis eius effectibus, in opere transmutationis metallorum, innumera prostant exempla, non amplius in dubium vocamus. Haec vero videantur passim apud Hoffmann. Clave Pharm. p. 207. M. Mich. Neandrum Rect. Schol. Ilfeld. in sua orb. Terr. descript. fol. 56. Valer Bonvicin. Lanc. Perip. p. 163. Beccher. Phys. subt. Supplementis, Oedipo Chemico, Metallurg. p. 286. Io. Wolffg. Dienheim. Universal-Artzney Cap. 24. Balduin Aur. Aurae p. m. 152. 153. Herm. Lather de Cens. L. III. C. II. ex Cardan. Durand. etc. Tiling. Prodr. Prax. Chimiatr. p. 47. Matth. Untzer. Anat. Mercurii Spagyr. Lib. I. Cap. 17. Vigilant. de Monte Cubiti Dedicat. am dreyfachen Hermetischen Kleeblat/ Camerar. Memorab. Med. Cap. 5. p. m. 79. Lachmund. de Ave Diomed. p. 16. Stierkium in Praefat supra Irenaeum Philal. Ipsum Irenaeum im Kern der Alchimie, Freyherrn von Schrotenbach Tr. von Goldmachen/ Wunder drey/ Berlich. Disp. de Med. Univ. Sperling. Disp. de Arsenico, A. Brandau. Universal Tinctur. item Blavensteinium, Boyleum, Morhoff. Reschium ex Hogelando, Philalet. Zwoelff. Ephem. germ. Helv. vit. aur. Clau. Helm. Borrich. Kunckel. Horn. Praefat.

in

in Gebr. Panciroll. et alios innumeros. Novissimum et certissimum est a Boetttichero Berolini factum experimentum, in praesentia heri sui Zornii, et duorum Pastorum hospitum, cuius etiam mentionem fecit Wolffg. Wed. Lib. cit. p. 14. Ipsemet vidi et manibus meis trivi frustulum auri sat grave, quod a Beato Boettigero, praesente viro quodam fide digno, ex Mercurio communi paratum fuerat Dresdae.

Inique etiam agunt, et maximam inferunt iniuriam huic naturae et artis superlativo, qui vires, in curandis pluribus corporis nostri infirmitatibus, et vita prologanda, ipsi derogare conantur, rationes enim, quas ad stabiliendam sententiam adferunt, plane sunt insufficientes, minime illius praestantiae praeiudicant et prorsus nihil summae eius virtuti et efficaciae adimunt. Reducuntur autem ad has tres praecipuas.

I. Morbos ex innumeris et multo diversis oriri causis, consequenter eosdem non posse tolli uno eodemque remedio.

II. Lapidis Philosophorum materiam, genuinorum Chimicorum consensu, desumi ex regno minerali, et non nisi in eius naturae similia metalla, ignis adiumento, agere posse, a quibus autem corpora nostra toto coelo non solum differant, sed modus etiam agendi, ipsis sit prorsus inapplicabilis.

III. Deum nobis praefixisse certum vitae tempus, quod prolongari nulla re posset.

At ut paucis ad easdem respondeam, multitudinem et differentiam causarum morbificantium iam non negabo,

bo, perpendant modo paulo accuratius velim cum aliis intimioris earum naturae ſcrutatoribus, omnes easdem, quo duplices, et quam diverſae etiam ſint, ad ſanitatis laeſionem proxime concurrere, qua fluidum noſtrum vitale varie turbant, et in hoc in primis partes ſalino ſulphureas balſamicas qualitatibus ſuis heterogeniis et naturae moleſtis inquinant, unde pro indole praeternaturali diverſa, craſis, et motus eius varie alteratur, vires ſimul naturales proſternuntur, in ſumma harmonia iſta amicabilis, quae in mixtione et motu convenienti partium fluidarum, atque ſtructura legitima ſolidarum unice conſiſtit, et ſanitas in ſpecie dicitur, labefactatur. Hinc porro univerſalem oriri indicationem, omne heterogeneum et ſanitati inimicum tollendum, atque vires, quae a motu partium vivido dependent, ſuffulciendas eſſe, cui ſane nullum adaequatius reſpondet indicatum, praeter maximum hoc naturae et artis magiſterium, cuius in fixitate ſua penetrabilitas, mobilitas, atque in mundificando, et viribus exaltandis excellentia, reliqua medicamina omnia multis paraſangis antecellit.

Quodſi vero ulterius quis obiiceret, hoc, quod iam dictum eſt, valere quidem poſſe de morbis internis, et in ſpecie humoralibus, minime autem extendendum eſſe ad morbos partium ſolidarum et affectus externos, e. g. luxationes, fracturas etc. hic in tantum me habebit conſentientem, in quantum morbi iſti non ab humorum vitiis duxerunt ortum, aut revera a manu Chirurgica et externis v. g. Ligamentis, faſciis, emplaſtris aliisque topicis, ſuam expectent atque accipiant medelam, quanquam et in hoc caſu, eius uſus non erit irritus et fruſtraneus, cum etiam mediate, ſanguinem et reliquos humores ad motum vividum incitando, atque hac ratione accidentia varia, tumores, dolores,

lores, inflammationes et gangraenam arcendo, reſtitutionem, coalitionem, atque conſolidationem maturare poſſit.

Secundum quod concernit Argumentum, in hoc licet veri Artiſtae omnes conveniant, quod illius magnae medicinae materia vera proſapiae ſit mineralis, quicquid etiam alii eruditi alias ſatis, ab elementis aut elementatis ex regno vegetabili et animali in contrarium fruſtra vel ſemper ſperaverint; tamen ubi tanta differentia et quod dicunt, toto coelo, inter mixtionis materiam corporis animalis et mineralis a ſanioribus minimum Philoſophis conceſſa ſit, ſane neſcio, quin potius ab excellentiſſimo Stahlio, et Wedelio expreſſe aſſeratur (v) regna inter ſe eſſe ſymbolica et communicare invicem, ſeu participare etiam vegetabilia et animalia de particulis terreis, et quaſi mineralibus exemplo tartari et calculorum; item conſtare non minus vegetabilia et animalia principiis mineralis et ſubterraneae indolis, atque abſolvi ab iisdem etiam horum regnorum mixtiones. Et ſi vel maxime rationes in locis allegatis uberrime datas impugnare quis audeat, experientiae, utpote omnium rerum magiſtrae, minime refragabitur, qua certiſſime patet, graviſſimos morbos curatos eſſe et adhuc dum curari mineralibus et metallicis remediis e. g. ♁ialibus, ☿ialibus, ♂ialibus etc. quando autem tam egregios praeſtant effectus, vel ruditer praeparata, quidni ab illis optime purificatis, intime recluſis, exaltatis atque ad ſummam fixitatem et perfectionem redactis, erit ſperandum, non etiam eſt quod opinemur, divinam hanc Medicinam ad operandum in noſtro corpore, tanto ignis et caloris

(v) *Specim. Beccher. p. 43. ſeq. Introd. in Alchim. p. 32. ſeq.*

gradu, ac in metallis opus habere, cum hunc, non respectu sui, sed metalli fundendi, aut candendi, prius quam in id agere posset, requirat, Tinctura enim per se summae est activitatis et facillimae liquationis, quod etiam pro vero eius criterio habent Philosophi, (ξ) ut iam taceam, posse non minus metalla aut metallica, menstruo suo soluta, per praecipitationem exaltari.

Tertium, salva nostra, de universali quadam Medicina, sententia, firmiter stabit, modo per certum vitae tempus nobis praefixum intelligatur, terminus a Deo positus, necessitate conditionata, ab hominum pietate vel impietate, Diaeta, aliisque causis secundis et contingentibus dependens; dedit nempe sapientissimus Deus hominibus rationem, et liberum reliquit arbitrium, quibus quando decenter utimur, et vitae nostrae normam inde emendamus, magnae huius Medicinae energia tamdiu vivimus, quamdiu per nostram complexionem seu dispositionem corpoream nobis est concessum, mortemque non evitamus, sed eandem tolerabili in statu, cum vegeta sanitate expectamus, praesentes nempe morbos exturbat et ab absentibus praeservat corpora nostra, de quibus pluribus vid. Clauderus L. c. minime vero credendum, optimum Deum ex absoluto decreto inevitabili, cuilibet hominum, certum morbi genus definivisse, quo perire cogatur; et certam horam praedestinasse, quam anticipare aut prolongare, simpliciter sit impossibile, quin potius per multa testimonia in sacris literis constet, ipsum, pro sua singulari clementia, aliquando vitam ad plures annos extendisse, aliquando vero impiis, ex poena, dies abbreviasse, vel propria hominum quoque culpa, mortem

(ξ) *Gabriel Clauder. de Tinct. univers. p. m. 107.*

tem maturare permisisse. Sic per Esaiam cap. 38. v. 5. iussu omnipotentissimi ad Hiskiam Regem laeta fit annunciatio: *Audivi orationem tuam, et vidi lachrimas tuas: et adiiciam ad dies tuos quindecim annos.* Et Proverb. 3. v. 1. 2. dicitur, *Fili mi, legis meae ne obliviscaris, et praecepta mea custodiant cor tuum; quia longitudinem dierum et annos vitae, et pacem apponent tibi:* porro Cap. 10. v. 27. *Timor Iehovae apponit dies: et anni impiorum abbreviantur:* item Exod. 23. v. 25. 26. *Si coletis Iehovam Deum vestrum: numerum dierum vestrorum complebo;* contra vero Psalm. 55. v. 24. *Viri sanguinariii et dolosi non dimidiabunt dies suos:* et 73. v. 19. *Quam subito deficiunt iniqui? pereunt, et eorum finis est horribilis.* Item Ecclesiast. 7. v. 18. *Ne impie agas multa, et noli esse stultus, ne moriaris in Tempore non Tuo etc.* de quibus tamen plura vid. apud Theologos et inprimis Calovium, Hulsemannum, Hunnium aliosque.

Sufficit, quod iubeamur medicamentis uti a sacro Codice, et per longam indubitatamque experientiam quoque certum constet, remedia tam omnia, quam in specie secretissimam hanc metallorum et hominum Medicinam nunquam frustra, nunquam inutiliter, sed maximo semper et mirando cum successu aegrotantibus adhibitam fuisse, ut eius testimonia innumera sunt videre apud allegatos Autores Chemicos.

Verum enim vero, licet hoc magnum Dei donum, in natura et arte, certo fundatum credere, ratio et experientia suadeat, ipsique ob maximae virtutis et efficaciae excellentiam, (utpote primario artis scopo et vero fini, inter reliqua Chemiae producta praecipuus locus merito assignari debeat, nemo tamen putet velim, acquisitionem eius tam facilem, et quosvis universalia cre-

 pantes

pantes pro veris arcani huius possessoribus haberi, quin potius vel semper teneamus, illud miro artificio, altoque silentio, perpetuo absconditum fuisse, Deumque maximum et hic, uti magnam virtutem, etiam magnam difficultatem collocasse, atque opus sua manu tegere, non nisi ab ipso solo petendum ac impetrandum. De quibus in singulari libro vid. Theobaldus ab Hoghelande. Senn. L. c. p. 13. Salmuth. L. c. p. 148. sequent. et Io. Aurelius Augurellus in Chrysopoeia. Propterea etiam nemini autor ero et suasor, ut solius huius artificii caussa, (quod fugit quaerentes, nec nisi occasione discitur, recte loquente Becch. in Praefat. ad Physicam suam subterraneam) studium Chemicum aggrediatur, *quibus vero cordi est, in finem veritatis, artem tractare, et in eruendis arcanis naturae profundissimis, in Maiestatis divinae operibus abditis et inexhaustis, ingenium exercere, iis forsan et huius divini operis scientia minimum, quae etiam iucunda est, non prorsus incognita manebit*, ad quam inprimis lucem accendunt Autores sequentes Geber Arabs in Chemia, Suchtenius, Pantaleonis scripta, Berlich. disp. de Med. universali, Bernhardus, Becherus, Annon. Arcanum hermeticae Philosophiae opus, Philaletha Introit. aperto, Metamorphos. metall. cum reliquis duobus Irenaei s. Rhomaei, Medulla Alchimiae, it. Enarrat. in Med. Gebri, Experiment. circa Mercurium Philosophor. et breve manuductorium ad campum Sophiae, Aquila Thuring. rediviv. Refutat. Tumbae Semiramidis, Epist. Riplei ad Eduardum Regem, Canon. de Lap. Philosoph. Sucht. Io. de Monte Snyder. Metamorphosis planetar. et eiusdem

dem Tract. de Med. Univ. Sed claudo de hocce Thesauro tractationem, voto B. Wolffg. Wed. in Praefat. ad Alchim. *Optandum foret, ut magnates, quorum bona pars penetrarunt intimius admissi, in haec sacraria, et de tali honestissima societate instituenda cogitarent, vel saltem faverent maiori gratia genuinis artis filiis, securi sic futuri, a fraudibus non inescandi ad frustraneos et immensos sumtus, demerituri summe universam rem publicam medicam et literariam.*

Cum autem, ut supra innui, non omnibus liceat adire Corinthum et paucis admodum concessum sit, ad absconditissimi huius magisterii possessionem pervenire, ars ditissima Chemia in hoc solo omnes eius divitias conclusas noluit, sed praeter universalem hunc omnis salutis temporariae fontem, rivulos inde fluentes in particularibus nobis monstravit quam plurimos, quorum tractatio sobria etiam non de nihilo erit. Per experimenta nempe circa metalla ignobiliora accuratius instituta, iam antiquissimis Artistis perspectum fuit, in illis non minus Aurum et argentum potentia minimum reconditum esse, quod certo operationum directorio et additis rebus competentibus, in via tam sicca quam humida, ita figi et maturari possit, ut etiam non raro bona pars ignobilioris metalli una, in suae naturae simile aurum et argentum commutetur. de quibus pluribus vid. Author. praef.

Placuit etiam nonnullis Chemicis, ut B. Wolff. Wed. et Becchero, has quoque ἐγχειρήσεις ad particularia referre, mediantibus quibus particulae subtilissimae sive micae actu quidem aureae et argenteae, sed per impuriores et ignobiliores minerarum et

 me-

metallorum partes, tantum nimis diffusae et dispersae, Menstruis aut additamentis idoneis, et adhibito simul igne fusionis colliguntur et ad oculum sistuntur. Quae tamen potius ad partem separatoriam s. Metallurgiam rationalem pertinere videntur. Qui nempe et hic, secundum vera naturae et artis fundamenta procedit, facile cognoscet, qualia sint, quae ingrediantur mineralia atque metalla, illaque componant, quamve hae partes constitutivae inter se habeant analogiam aut discrepantiam, ac quod mineralia omnia, metalla et metallica, non nisi proportione mixtionis, compositionis, aut aggregationis, inter se differant, atque in huius mineralis compositione aut aggregatione hoc, in alio, aliud praevaleat recrementum: Ex quibus omnibus porro colliget, quomodo in fusione mineralium ad metalla elicienda, per additamenta debita, multum utilitatis afferre possit, et quod metallurgi, ex eodem fundamento, mineralibus fundendis, cum fructu varia adiiciant; quibus partes metallicae a spoliantibus sic dictis recrementis metallicis, conserventur, licet huius rei rationem reddere non valeant, in qua tamen re maiora operum pretia facienda esse, ille optime videt, qui semel atque iterum ipse expertus est, mineralia plus metalli in se continere, et saniori methodo tractata, uberiorem etiam eius proventum revera largiri; quam quidem a metallurgis, vulgari modo procedendi, ex iisdem acquiritur; in minori quantitate hanc rem plus vice simplici habemus expertam, maiori periculum facere, hactenus defecit occasio, quo minus vero et hic dubitem, svadent aliorum successus felices. Vid. Becch. Physic. subterran. Supplem. et Metall. Stahl. Metallurg. Unde luculentissime patet, ad hos quoque labo-

bo-

bores Chemiam multum posse, qui, ut utiliter tractentur, Principis et Patriae multum interest.

Non vero mineralia tantum intimius perscrutatur Chemia nostra rationalis, sed omnia, quae in toto hoc universo sub sensus cadunt, corpora ipsi sunt subiecta; eorum omnium causae, affectiones et proprietates verae, sive a mixtione sive compositione aut aggregatione illorum dependentes, ex principiis, per artem hanc nobilissimam, demonstrabilibus evidentissime patent, non etiam sola cognitione corporum naturalium est contenta, sed revera ex illis aliquid efficit, quod naturae soli efficere est impossibile, et unde innumera in totum genus humanum fluxere bona. Qua re certe nulla alia Philosophia, neque Aristotelis, Platonis, Pythagorae, Empetoclis, Heracliti, Anaxagorae, Democriti, Parmenidis, Xenophantis, aut aliorum gloriari potest. De quibus recte loquitur Baconus de Verulamio in visis suis & cogitatis: Ex tot Philosophiis per tot annorum spatia elaboratis, ne unum quidem experimentum adduci posse, quod ad hominum statum levandum, aut locupletandum spectet, et huiusmodi speculationibus vere acceptum referri possit. Quin contra Aristotelis de quatuor elementis commentum, cui ipse potius autoritatem, quam principium dedit, (quod avide a Medicis acceptum, quatuor complexionum, quatuor humorum, & quatuor primarum qualitatum coniugationes post se traxit) tanquam malignum aliquod & infaustum sidus, infinitam & Medicinae, nec non compluribus mechanicis rebus, sterilitatem attulisse, dum homines per eiusmodi concinnitates, & compendiosas ineptias sibi satis fieri patientes, nihil amplius curant: Quaestionum interea et controversiarum turbas circa huiusmodi Philosophias undique

que ſonare et volitare; adeo ut fabula illa, de Scylla, in eas ad vivum competere videatur, quae virginis os et vultum extulit, ad uterum vero monſtra latrantia ſuccingebantur, et adhaerebant: Ita habere et iſtas doctrinas quaedam primo adſpectu ſpecioſa, ſed cum ad partes generationis ventum eſt, ut fructum ex ſe edant, tum nihil praeter lites et inquietas diſputationes inveniri, qui partus vices obtineant, et Helmontius ait in Tract. Pharmacop. et Diſpenſator. moderno, §. 32. *Chemia principia habet non longiſſimis parta, ſed quae per naturam ſunt cognita, et per ignem conſpicua, praeparatque intellectum ad penetranda naturae occulta, ponitque veſtigationem in natura ulteriorem, quam aliae ſcientiae omnes.* Quis autem ex his non videt, quantam etiam lucem rerum naturalium explicationi ſeu Phyſicae ſcientiae ſuffundat ocularis Chemia, imo quis negabit? ipſam eſſe Phyſices firmisſimam baſin, dicit enim Bacon. l. c. in naturali Philoſophia requiri, ut ſcientia ex operibus monſtretur: Item in natura opera veritatis pignora eſſe. Veritatem enim per operum indicationem magis, quam ex argumentis, aut etiam ex ſenſu, et patefieri et probari. Idem illuſtris Baconus, in novo organo ſcientiarum pergit: *Illa ratio eſt optima, quae debitis modis elicitur ex rebus, et vocatur naturae interpretatio, quae verior efficitur per inſtantias et naturae experimenta idonea et appoſita,* et Raimundus Lullius Teſtam. cap. 26. *Ut cunque Logicus* inquit: *habeat profundum ingenium argumentabile, aut naturale, de rebus extrinſecis, tamen nunquam per aliquam rationem, quae venit ad ſenſum poterit directe cognoſcere, nec iudicare, quomodo ſemen in terra pullulet, creſcat, & colligat fructus: niſi cum doctrina experimentali prius intraverit, in noſtram Philoſophiam naturalem, et non ſophiſticam ſermocinalem illam, quae naſcitur logicis, per diverſas praeſumtiones phan-*

taſti-

tasticas etc. hucusque Lullius. Chemia rationalis certo sola, veluti splendidissima Dianae lampas, abdita naturae penetralia illustrat et claustra reserat, per huius nempe operationes et experimenta, saniori methodo instituta, perfecta demum datur inspectio, in minutiores et minus obvias rerum naturalium partes, ex qua eorum mixtio et collatio, ad se invicem, omnesque inde fluentes proprietates, manifestantur, nemo sane in Physicis contemplationibus, et naturae perscrutationibus, sine hac excellere potest.

Quemadmodum autem Chemia, occultos ac intimos naturae recessus aperit, ita talia quoque producit ex regno vegetabili, animali et minerali, medicamenta, quae contumacissimis et gigantaeis etiam morbis resistere valeant; absque huius studii nobilissimi notitia, ars Pharmacevtica non minus quam tota Medicina profecto langueret. Hodierna nostra ipsius splendore unice radiat, et ex operationibus et experimentis Chemicis quotidie acquirit accessiones, quod nempe habet optimorum, efficacissimorum et gratissimorum medicamentorum, id Chemiae soli acceptum debet. Haec docuit corpora medicamentosa omnis generis recludere, purum ab impuro, utile ab inutili, subtile a crasso separare, hoc cum competentibus iterum componere, compositique vires praeparationibus variis intendere et exaltare, imo ex ipsis venenis tutissimam et in minima dosi summarum virium medicinam concinnare, quae etiam in desperatissimis morbis saluberrimum praestat effectum, quibus iam mirum quantum differt a veterum illa Pharmacia, unde non nisi electuaria, apozematum pocula et syrupi, ad descriptionem nescio, quot pedes longam laboriose

confecti, tamen taediosissimi et multo inferioris virtutis petebantur; Qualia Pharmaca in hodierno vivendi statu perversissimo et excessibus Diaetae maximis, minime sane sufficerent; quam ob rem ex sapientissimo consilio et singulari gratia, qua Deus optimus maximus super merita semper prospexit generi humano, factum esse, certo mihi persuasum habeo, quod hoc tempore etiam, quo studia, spissa barbarie obruta, omnia latebant, Artem Chemicam nihilosecius vel in monasteriis, maxima cum industria, semper exercitam fuisse, testantur de hoc scripta Raimundi Lullii, Isaaci Hollandi, Rogerii, Basilii Valentini, Io. de Rupescissae aliorumque, quorum multa nondum edita, in magnis Bibliothecis manuscripta servantur. Habuit inde etiam sine dubio cuncta, quae mirificis involucris involvit, et perverse satis atque corrupte divulgavit Theophrastus Paracelsus. Legit plurima ipse in manuscripto, a Monacho, longe ante Paracelsum exarato, et testatus est Io. Crato a Krafftheim in epistola ad Iosephum Scaligerum Lib. XV. de subtilitate Iul. Caesar. Scaligeri praeposita. Quid autem publice privatimque utilius, quam mortalitati nostrae, quantum quidem licet, subvenire, morbos corporis nostri arcere et depellere, et langventem proximum atque iacentem restituere? Minima certe Medicina, quae certo morbum aliquem curat, praestantior est omni auro atque gemmis, talem vero non unam suggerit Chemia.

Ut autem de utilitate eius in inveniendis ad sanitatem amissam restaurandam tutissimis, iucundissimis et efficacissimis Medicamentis iam plura non dicam, nemini non optime notum est. Artis quoque operationibus in perficiendis

dis alimentis, quibus ad vitam ſuſtentandam utimur, nos carere minime poſſe, ſic, ut terra proferat frumenta, olera, uvas et arborum fructus omnis generis, opus eſt eius cultura, ſimatione, pampinatione et ſimilibus, per inſertionem ſurculorum et inoculationem, fructus evadunt delicatiores. Hordeum, per ſe coctum, non praebet cereviſiam, niſi primo ignis calore torreatur, et in polentam mutetur; ex uvis non fit muſtum et vinum, niſi torculando, ſuccum ſeparando et fermentando; ad panem conficiendum neceſſe eſt, ut maſſa fermentetur et coquatur; eſculenta, varie condiendo et coquendo, nobis paramus fercula grata. Vinum a fecibus abſtrahendo, in dolia reponendo, ſulphure perfumando, vel in vinoſitate conſervamus, vel in acetum et ſpiritum ardentem mutamus, et ſic porro; ita ut hic apprime ſatis dixerit Beccherus, Naturam incipere, Artem autem perficere et naturae perpetuo quaſi obſtetricari. Et quis porro omnia beneficia, ad hominum uſum, ab Arte Chemica largiter iam pro fluxa, ſatis enumerare poteſt? Quot ſunt quaeſo artes mechanicae, quot opificia, quae non Chemiae multum debent? nullum ſane quod circa ſubiecta foſſilia aut metallica corpora operatur huius ope vacare poteſt. Per Chemiam poſſidemus Docimaſticam, artem deſtillatoriam, vitrariam, tinctoriam, ſaponariam, haec docuit Encauſticen, et omnis generis colores in arte pictoria utiles, Chalcographicam et Chartae praeparationem, quorum ope in tantum veſtigium evectae ſunt literae, item pulverem pyreum et acum nauticam, quae duo inventa, infinitae in re bellica et navali, in toto terrarum orbe, mutationes ſecutae ſunt, pluraque alia curioſiſſima aperuit ſecreta, quae paucis ſunt

cognita; nuper admodum artem hanc nobilissimam tractantibus modus innotuit, et in nostris regionibus porcellanam efficere, ipsa Chinensi pulchritudine non modo inferiorem, sed in pluribus praestantiorem. Atque nullum profecto est dubium, latere adhuc in natura multa per artem hanc nobilissimam educenda, modo saniori methodo tractetur, quam hucusque factum est, et non ab una parte sectatores eius avaritia detestabili vitio impulsi, statim aurum affectent, et incertis fundamentis totum tempus circa lapidem Philosophorum inveniendum consumant, librosque eorum, qui Aureos montes, et nescio quid amplius, promittunt, lubentius legant, et processus inibi contentos vanos in praxin reducant, quam verorum Philosophorum scripta, quae rerum principia vera, earundemque generationis, corruptionis, solutionis et coagulationis praecepta et fundamenta tradunt. Ab altera autem parte, Chemiam qui docent, eandem ad Medicinam totam relegant, et non nisi qua Medicamenta utilia suggerit, solis Medicinae studiosis necessariam putent, contra vero praecipuum scopum, qui ad metallorum et minerarum dextram tractationem, maturationem et separationem, aliaque humano generi producenda utilia tendit, super habeant; Cum tamen nemini eruditorum, si quidem solidam eruditionem venentur, idque per alias occupationes liceat, ignorandum sit; si quid aliud enim, sane Alchemia, facit ad πολυμαθίαν et literaturam, ornat eruditos omnes, recte sic pronunciante Wolffg. Wedelio. (o)

Quod optime etiam advertens Potentissimus Poloniarum REX et ELECTOR SAXONIAE, Dominus

---

(o) *Introd. in Alchimiam Cap. I. §. 5. 6.*

nus noſter Clementiſſimus, pro maxima, qua fulget inter Monarchas ſapientia, et ſingulari, in omnia ſtudia bona, propenſione, Artem hanc praeſtantiſſimam in Alma hac eruditorum celeberrima, iam ex inſtituto doceri praecepit, et mihi praeter meritum hanc ſpartam clementiſſime demandavit, de hac gratia MAIESTATI REGIAE, devotiſſimas, ſubmisſisſimas habeo et ago grates. Servet ſemper ſalvum ſospitemque omnipotentisſimum Numen, ſartum et tectum ab omnibus calamitatibus REGEM noſtrum Clementisſimum cum univerſa domo REGIA et ELECTORALI, quo, ſub eius auſpiciis, haec noſtra Academia perpetuo ſplendeat, et ego mandato eius clementisſimo, in cunctis, et ut voveo, omnibus animi et corporis viribus, ſatis facere, atque ſecurus ab impedimentis quibusvis propoſitum meum ad Ακμὴν perducere valeam. Vobis denique A. O. O. H. etc.

Agite nunc omnes Philoſophiae operativae amantes, praeſtate mihi manus auxiliatrices, Laboratorium Chemicum in aedibus meis invenietis exſtructum, inſtrumenta ad quasvis Artis operationes aptisſima, cum ſola Philoſophia experimentali ſ. Chemia rationali, cuius facies hodierna eſt ſplendidisſima, auſpicato naturae arcana intrabimus, Artem exordiemur ab hoc, quo originem duxit primam, tractabimus primo Mineralium, Metallicorum et Metallorum doctrinam, ubi non ſolum de qualitatibus eorundem externis erimus ſoliciti, ſed Boyleum, Beccherum, Wedelium et Stahlium excellentisſimum ſequentes, intimam ſubterraneorum mixtionem aggrediemur, hinc nobis patebunt qualitates internae, earundem cauſae, differentiae et vicisſitudines, diſpiciemus, qualem ad ſe invicem in mixtione et compoſitione habeant collationem, progre-

 die-

diemur, porro ad vegetabilia et animalia, atque horum quoque mixtorum contemplabimur principia vera, iisdem quoque ipsis competentes operationes instituemus, veniemus inde ad intimam Pyrotechniae, Halotechniae et Zymotechniae rationalis notitiam, quae quasi claves ad penetralia Philosophiae experimentalis porrigit, hanc qui bene habet cognitam, de oblato processu, sive labore Chemico statim iudicabit a priori, et ex ingredientium natura atque modo procedendi, qualis sit sperandus successus, et si difficultas quaedam subsit, qua ratione et quibus enchyrisibus haec tollenda, imo ipse non solum ex proprio ingenio et experientia processus veros, genuinos et naturae congruos instituere, sed etiam aliorum producta ad examen vocare poterit. Dictum Vitembergae,

D. VII. NOVEMBR. A. M
DCC XXIV.

